

**Prosæ Tomus ...**

**Conti, Giovanni Battista**

**Rom, 1704**

Prosa XIX. Sapientiæ Candidatus noscitare se ipsum antea debet, quàm  
ad rerum aliarum conquirendas notiones accedat. In studiorum  
instauratione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69458](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69458)

argumentum id esto, quod volumus  
eum adesse nobis, præclarior, quod  
abesse sic volumus. Interea cum loqui  
de ipso adstante nunc verear, vel ex hoc  
convenienter laudatum censebo, quia  
laudare non ausim. Quapropter pa-  
negyrico silentio conticebam.

## PROSA DECIMANONA

Sapientiae Candidatus noscitare se ipsum  
antea debet, quam ad rerum alia-  
rum conquirendas notiones ac-  
cedat. In studiorum  
instaurazione

## ORATIO.



Bistrusas, & involutas  
recum causas venatri-  
ce rimatur indagine  
perennis, sed inanis  
persæpe humana  
curiositas, Auditores  
Eruditissimi. Hoc  
acti stimulo per vim mentis plusquam  
dedaleæ cælum adimus, & syderibus  
ipsis immiscemur mortales. Quin-  
tam per tubulata conspicilia accersire  
di-

distantissima quæque placuit, & nostris  
adesse oculis, ac prope subesse coegi-  
mus: quantumlibet introrsum, & pe-  
nitissimum usque sub fundum recedat  
veritas, persequemur certè quæ latent,  
quando & id ipsum hortatu fortiori nos  
acuit, quod penitus latet. Verùm uti-  
nam ne quamplurimis aliquid illo mis-  
trius contingat quod Philosophorum  
perpessus quidam est: is nimirùm cæli  
speculator sollicitus, idemque securus,  
& negligens sui temerario quondam  
incessu subjectam in foveam ruit; &  
spectabile satis documentum reliquit,  
longè plus subiri discriminis, aut de-  
trimenti ex eo quòd propinquiora  
ignoramus, quàm commodi, aut fru-  
gis ex eo quòd curiosè divertimur in  
longinqua. Canamus aliquando re-  
ceptui: Iste, qui in immensum re-  
dundat sciendi fervor contrahendus  
paulùm est; & peregrè nimium digres-  
sus, intra domum, laresque domesti-  
cos revocandus; ut nostrum quilibet  
se priùs ediscat, & sua, quam de alienis,  
exterisque cognoscat: *yvādi se a vōu,*  
nosce te ipsum, è cælo descendisse sa-  
tyricus Vates perhibuit; usque adeo

ora-

ora  
fide  
bra  
ad i  
cus  
Chi  
qua  
pliu  
con  
to c  
con  
disc  
stud  
scer  
ipsu  
nes  
cur  
A  
nul  
stri  
me  
ter  
vin  
diu  
hoc  
nio  
equ  
rad

oraculi pondus obtinet, & humanæ  
fidei demeretur obsequium. Hoc evi-  
bratum laconicè monitum omnis est  
ad mores pertinentis philosophiæ suc-  
cus, & anima: hoc idem non exigua  
Christianæ virtutis est portio: imò ali-  
quantò ipse ulterius excurrat, & am-  
plius quiddam aggrediar in præsentia  
concludendum: in hoc videlicet effa-  
to omnis humanæ sapientiæ tyrocinium  
constitutum ostendam. Vis reliqua  
discere, quæcumque nobis sapientiæ  
studium pollicetur? tibi probè digno-  
scendo, metiendoque ante studeas; te  
ipsum ante discas, oportet: se ipsos  
nescivisse causa compluribus extitit,  
cur alia quoque nesciverint.

Ab augustissimo nature totius opifice  
nullū derivatur in homines donū illu-  
strios, quam ingenīū. Ceteris homo ju-  
menta, hōc & hominem antecedit; cæ-  
tera appellaverim dona vestigium di-  
vinitatis; donū hoc divinæ mētis est ra-  
dius; adumbravit se Deus in ceteris, in  
hoc sui lumen vultus expressit. Inge-  
niosis tamen viris non omnibus est aut  
æquè dives, aut ejusdem omnino cha-  
racteris ingentium: ut numismata, sic  
in-

ingenia suam quæque præferunt peculiarem notam , alia pluris , aliaque plura ducenda , ac pensitanda minoris . Quicumque ingreditur studia litterarum secùm ipse primum evolvat , quantum sit ingenium sortitus , num prælargum , & porrectum , num contrahendum , & circumscriptum , utrum claudicans , & cunctabundum , an expeditum , & volvere , quodque emicans insublimia , isthæc inferiora humique jacentia præpetibus pennis supervolat . Id liquido percipiendum est animo ; cavendum vero solerter , ne hujusmodi subrepatur investigationi , & consilio inconsultus , & cæcus amor sui , qui ubi de more præstigias , atque officias suas interserit , ita mentis tribunal prensat fraudulentus captator , ut integrum vix homini sinat sua vel bona , vel mala ad veritatis lancem perpendere . Assidebit suamet sententia & Thersites Achilli , & Ædipo Davus , & aliquis prope Margites Lycurgo , aut Soloni . Quapropter excusso hujus pellicissimi præstigiatoris fuso , quo nostra nobis extenuantur vitia ; & gracieles quantumvis virtutes , ac fermè nul-

lx

læ immane quantum turgescunt; fide-liter versemus nobiscum, quis nobis ingenii modus obtigerit: subinde ad vim, captumque nostrum nostrorum definientes lineam studiorum, eam singuli eligamus sapientiæ semitam, quam tenere nos posse confidimus, nec ambitioso conatu infelique anhelitu salebrosa reptemus per juga, quæ siquidem adire ingenium non valet, affectare votum non debet.

Fingite animo fatigatam naufragiis,  
& putrescente ligno jam ruinosam,  
jamque dissuendam naviculam: dudum  
destituta Tyrrheno otiaatur in littore,  
& vix quispiam se illi crediderit pru-  
dens, vel cum littoralem dumtaxat  
crepidinem radere citra ullam aleam  
est animus, captandi studio innocen-  
tem auram, & mitius in fluctibus al-  
ludentem. Non desuot nihilominus  
qui exultantes nimium stolida securi-  
tate illam procellis vulneratam, suaque  
caducam senectute naviculam certatim  
conscendunt, & infirmis remis, lin-  
teisque discissis in altum propellunt  
morituri. Concurrentibus illicò ven-  
tis, marique tumultuante moles im-

M bec-

becilla discerpitur , quique tantulæ  
moli commiserant sese , hac , illac in  
Iudibrium ventorum ja&cantur , & ul-  
nis frustra adnitentibus morte confli-  
ctantur propinqua , donec meritas da-  
re penas audaciæ coacti hiatu tandem  
aquarum sorbentur . Enimverò quot  
hominum dum suprema sapientiæ cul-  
mina velificante superbia peterent , fru-  
strato denique defecerunt impendio la-  
boris , ac vitæ: & humillimo vix ido-  
neam littori cimbulam ausi in altiora  
protrudere , nihil discendo illud ad ex-  
tremum didicere , quām ipsi ad di-  
scendum sint hebetes! Quod tamen in-  
tellexisse nec utile illis cecidit , nec de-  
corum : Innotescat infirmitas tibi tua ,  
providente potius animo , ante quām  
laborem suscipias , non ipso exprobra-  
te labore , cum incassum susceperis : si  
enim impar tibi onus non subeas , tua  
tibi infirmitas tantūm non proderit ;  
etiam nocitura est , dum subieris .  
Præter quām quòd si ante laboris peri-  
culum tibi vim inesse modicam sense-  
ris , non ego te tam arguerim infir-  
mum , quām prudentem laudaverim :  
qui suæ imbecillitatis non antea fit

con-

conscius, quam pressus labori succumbat, nihil ille vacare laudationi patitur nihil excusationi; veniam imbecillitatis imprudentiae criminis antevertit. Quam aptum ergo, quam salubre, quam sapiens illud est monitum:

*Metiri se quæque suo modulo, ac pede verū est.  
& rursum:*

*versate diù, quid ferre recusent,  
Quid valeant humeri: Cui lecta potenter erit  
res,  
Nec facundia deseret bunc, nec lucidus ordo.*

Evidem necessarium id, non satistamen esse percenseo. Ut austерum sapientiae tramitem profectu quisque non pænitendo decurrat, severioris trutinæ momentis explorandum est, non quantum modò sit ingenium, sed quale: neque enim una vel acrioribus ingenii facies est, neque color idem. Ausim hic in rem nostram eos usurpare Maronis versus:

*non omnis fert omnia tellus.  
Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ:  
Arborei fætus alibi, atque injussa virescunt  
Gramina. Nonne vides, croceos ut Tmolus  
odores,  
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi;  
At Chalybes nudiferrum, virosaque Pontus*

M 2 Ca-

*Gastorea, Eliadum palmas Epiros equarum:*

Ita multiplices ingeniorum sunt habitus : & quamquam complura ad pompam usque quasi verna jucunditate fundunt sese , ac summa de se ipsis minantur , non tamen in omnigenas perinde fruges doctrinarum adolescunt , aut maturescunt . Sunt quæ in eloquentiæ campis liberaliùs prodeunt: sunt quæ castaliis rivis irrigantur feliciùs , & poeticis inde leporibus hilarantur . Sunt quæ robur solidioris philosophiæ validissimè sustinent . Alia subtilioris metaphysicæ fibras altissimè capiunt . Expectant alia fissionem , & sulcos profundioris theseos , atque in multiformis geometriæ , ac numerose arithmeticæ segetem subinde plurimam se propagant . Vultis Auditores aliquot selectiora delibemus exempla ? Enadsunt deprœpta poscentibus . Tullius qui suadelæ dulcedine , atque nervis in confessibus ac theatris dominabatur & quidquid modò collibusset , ab humanis pectoribus extorquebat , transgressus aliquando orationis solutæ fines , Paræassum biveticem adeo languidis , ac

pe-

penè claudis obambulasse pedibus, pa-  
sim, & vulgari fama narratur, ut quām  
suspicit posteritas Oratorem Tullium,  
tām eumdem versificatorem despiciat,  
atque rideat. Horatius, qui ad nume-  
ros Apollinis propè innumeros venustè  
temperavit ingenium, & tractabilem  
per omnes modulatus lyram suam de-  
duxit, idem ipse ad imbuendā heroicæ  
poeſeos tubam macilentum, & exan-  
gue pectus gerebat, se judice; sic enim  
ipsem̄ profitetur:

*fungar vice cotis, acutum  
Reddere quæ ferrum valet exors ipsa secādi.  
ea nimirū similitudine usus, ut signifi-  
cātiūs indicaret tantum sibi spiritus, a-  
nimæq; suppeteret, quo grandioris poe-  
matis agere præceptorē posset, non quo  
scriptorē. Quid plura? Summus ille Ari-  
stoteles, cuius aciem ingenii nullū sub-  
terfugete potuit ænigma ut ut longius  
positæ, vel penitus repositæ sapientiæ,  
si quid olim ad studii, & curarum se-  
veriorum remissionem festivius lusisset  
in carmine, haberetur, puto, Vates  
tam mediocris, quām nunc Vatum om-  
nium habetur institutor egregius: at-  
que id unū fortasse ejus poetico mirare.*

M 3              mur

mur in opere, quod nihil foret mirandum.

Necesse nunc non habemus priscae  
ætatis miracula in hujusmodi senten-  
tiam proferre; quando & suis pariter  
luminibus hoc quod peragitur sœcu-  
lum fulget: neque enim in hac ipsa  
temporum quantalibet inclinatione  
ad eò natura jacet effeta, & exhausta  
(qualem strigosí recentium castigato-  
res censura lamentantur atroci) ut ho-  
mines tanquam stipites gignat ad om-  
ne atticæ culturæ genus indociles. Per  
honestissimos Sapientium ordines ve-  
stras circumducite mentes, si placet,  
Auditores; cognoscetis planè hunc  
oratoriis pollentem viribus, ac redu-  
cem ferè Demosthenem; aut Tulliana  
ubertate aut Isocratæis Myrotheciis af-  
fluentem; in poeticis tamen apollineo  
vacantem motu languere, & concide-  
re. Hic contra apollineo spiritu inca-  
lescens, in pugnaci oratione frigidu-  
lus, aridulusque videbitur. Hunc in-  
telligetis in philosophicis meditamen-  
tis multum Platonis ostendere, in mo-  
rum disciplina evanescere. Hunc ite-  
rum ad Archimedis machinamenta  
agi.

agilem invenietis atque industrium , &  
prope Dedalæum; ad theologicas sub-  
tilitates præpinguem , atque visco , re-  
tinaque tardiorē . Commendat alios ve-  
nerabilis legum scientia , alios medicæ  
facultatis peritia . Tam discrepantis , se-  
cumque pugnantis naturæ in opificio  
ingeniorum , si quam vestigare causam  
non pigeat , hanc quæso mecum ra-  
tiocinationem inite: quid nam illud  
est causæ , quod cælum , ac sydera  
adeo certis , firmiterque destinatis il-  
lapsibus unamquamque terrarum in-  
visunt regionem , ut alias aliis dotes ,  
& tanquam nostrorum commodorum ,  
ac solitorum ministras , alias aliis vir-  
tutes disperiant ? Nonne illud studui-  
se natura videtur , ut aliarum copia re-  
rum , aliarum egestas ad mutua gentes  
commercia facilius convocaret ; nec sibi  
quispiam aliter nisi alteri consulendo  
consuleret ? Aliis enim non ad sui spem  
quæstus prodesse , divinitatis est : tan-  
tum prospicere sibi , hoc belluæ præ-  
stant jugiter pronæ , projectæque in-  
unum sui ventris obsequium : at suis ,  
alienisque adniti utilitatibus , id enim  
verò nostræ est humanitatis consuetu-

M 4 do.

do. Homines itaque humanos ut faceret natura, aliis alios rebus circumfluere, egere aliis constituit. Jam ergo quandoquidem scientia inflat; quid sapiente inhumanius, quid inveniri asperius, aut tumidius posset, nisi suis etiam Respublica litteratorum regetur commerciis? Gentes, uti dicebam, in commercia cogit mista divitiis pauperies: congruenter proinde natura parens in remedium superbiæ opes plerumque ingeniorum, salutaris inopiam temperamento castigat; nec ullum penè ingenium prodiga usquequaque manu doctrinis paratum omnibus finit, omnibusve artibus opportunum. Scire omnia quæ scire expedit; aut conveniat, illis datur beatissimis cæli Mentibus, quibus ea omnia in uno omnium authore sunt continenter perspecta. Cum hæc ita sint; procul dubio, Auditores, constat, esse intelligendam unicuique ipsam intelligentiam suæ, siique ingenii venam, ne animus ad minimè aptam sibi scientiam ineptè, ac temere allitus victa demum, aut elusa omni contentione resiliat.

Nihilominus esto (quod rarum in-  
pri-

primis autumo , & olori nigro simillimum ) esto succosioris , & habitioris indulgentia naturæ sit ingenium molita nonullum molle , ac cereum , & versicolore quadam docilitate cuiuslibet disciplinæ lineamentis mirificè consentaneum ; propterea ne ejusmodi ingenium ut in una tum naviter , tum utiliter scientia vim , atque operam suam collocet , opus minimè habuerit se ipsum prius exquirere , seque penetrabili sensu callere ? Erit , erit profetò non parum causæ quod & homo indole donatus tam facili , tam versatili , omnigenèque Palladi attemperata se ipse diligenter dispiciat , nisi plebejas , primaque in fronte statim obvias , atque detritas libare dumtaxat rerum notiones velit ; nec permeare intimas fibras concupiscat , & quasi sapientiæ medullam depasci . Sua cuique nostrum est indita inductio quædam naturæ ; suus , ut vocant , genius est innatus , cuius amabili pondere , & leni efficacitate , & efficaci lenitate rapi- mur singuli quocumque rapimur . Hic vota dictat in pectore ; ardua nobis hic subigit , hic perrumpit impervia , hic

M 5 aspre-

aspreta complanat . Sanè quemadmodum qui adverso flumine , & aquis oblucentibus ire pergit , sentit , se vi , & labore plurimo minimum itineris expedire ; multumque jactari , pauxillum progreedi laborantes quippe , & conantes in obstantia lacertos novarum semper aquarum incurfans flagellat irruptio , violenterque retrudit , & frangit : qui autem secundo adlabitur flumine ; tempore modico , labore nullo in longinqua citatus excurrit : etenim ipso quasi vehiculo obsequentium undarum transmittitur . Sic quoties genio tergiversante conamur aliquid , cunctos penè in irritum elabi conatus necesse est ; si quid verò ad genii obsequiam prudenter feligimus , fuerit operosum opus , fuerit omni difficultate circumseptum , superabit imperiosa genii constantia , atque exercita ad genium patientia triumphabit . Dixeris , animi facultates in homine præbere speciem cuiusdam exercitus eleganter instructi : sed dux earum genius est : is videlicet omnibus stipatus lubentius suis ita pollet , ut suo facultates nutu ad placitum effundat , & comprimat ,  
re-

relaxet , & reprehendat . Dixeris , suam & ingenii aciem inesse , quæ profundiora doctrinarum arcana celeriter penetrat ; sed ad hanc excolendam , & acuendam aciem silex quidam ingentia flammæ seminibus vigens , vividus que est genius : fac , abesse præpotentes illos genii hortatoris , atque incendi toris afflatus , languebunt repente vi res , algebunt spiritus , situ , & veter no gravi obdormiscet ingenium , totos ferè exanimabit animos , hominē que totum humi afflictabit onerosæ desidiæ plumbum . Videte jam Auditores , quantum & genio tribuendum sit , quantaque providendum cura , ne quid retrogradi ente aggrediamur illo , in quo penitus uno positum est , ut aggrediamur feliciter , ut felicius prosequamur , ut felicissimè consequamur . Sui nempe genii vocem , & suasionem intimam , acerrimamque auscultare , & affectari is præcipue debet , cuius ingenium non uniuersum tantum doctrinæ accipiendæ idoneum protulit natura , sed agile , commodumque nniversis . Tu nihil invita dices , faciesve Minerva : perantiquum est doctissimi monitoris præceptum .

M 6 Quor-

Quorsum verò genii favor annuat ,  
& arrideat , quid potissimum spectet ,  
utrumne magnæ molis notitiam per-  
diù conquirendam , nec nisi Apolline  
( quod ajunt ) aliquo indigitante appre-  
hendendam existimatis ? equidem pri-  
mūm hoc arbitror , & constanter enun-  
cio : In plerisque facillimè dat sese luci ,  
& oculis propalam naturæ propensio ,  
quotiescumque . vel levis opportuni-  
tas evocaverit . Unam , aut alteram  
veritatis hujus excerptam imaginem  
jam exhibeo . Dum Achilles puer apud  
Lycomedem puellari veste induitus  
inertes annos transigeret ; curante id  
**Genitrice** , ut filium imbellis formæ  
mendacio , ingruentium bellorum  
subduceret immanitati : Ulysses suis  
æquè dolis moliendis , ac demoliendis  
alienis veterator experiens hunc belis-  
simè astutum excogitasse , atque adornas-  
se refertur , quo tot inter oris vestisque  
fallacias verus , ac totus Achilles erum-  
peret . Ubi Lycomedis Regiam hospi-  
tis ritu ingressus est , Puellarum confe-  
stim accurentium turbam intuitus ,  
armillas , torques , inaures , colos , &  
hastulam scitissimè laboratam callidus  
lar-

largitor produxit in medium: arrisere  
simul omnes, & ad fæminea dona  
rapaces manus immisere certatim; unus  
tantum Achilles memor ne dicam, an  
immemor sui? hastulam inter munus-  
cula promicantem, non utique puella-  
riter, nec pueriliter, sed omnino viri-  
liter avidus, & avarus utraque protinus  
manu, amplexuque toto arripuit, &  
afferuit sibi. Quocirca importunis diu  
operimentis detentus, ad ludicram  
Martis speciem profilivit in puero mar-  
tialis genius, atque impedimenta om-  
nia eluctatus totum se in apertum de-  
nique vindicavit. Jottus non avitis,  
fumosisque, ut ignavi saepe homines,  
sed iis imaginibus nobilis, quas artis  
suæ miraculo spectatissimus Piëtor per-  
fecit; cum tenerioris florem ætatis in  
saltibus, ac pratis traduceret humilis  
pecorum, & armentorum Magister  
(maligna siquidem paupertas excelsam  
indolem ad infimas curas impulerat)  
dicitur multiplici quasi specimine, in-  
terioris olim genii semina prodidisse.  
Pascebantur temerè per explicatam  
planitiem ovium greges: interim in-  
geniosus Opilio, quem è re pecuaria  
pe.

pectoris erecti spiritus identidem avocabant, non lentus cessabat sub umbra, ut ferè pastores consueverunt, nec incondito calami stridore vocalem reddebat solitudinem; sed attentus, & curiosus aut æstivo in pulvere humani vultus structuram, lineasque ducebat, aut rudi carbone quadrupedum corpora præruptis appingebat in sophis, aut ferrato pastoralis pedi mucrone aliarum tractus figurarum populeis corticibus consignabat. Accidit aliquando, ut oviculæ montano de supercilio pendentis ad pabulum, politissimam, ac spirantem effigiem conformaret. Hic montis cacumen diligenter neglebat, & exasperatum arte mirifica prominebat; protendebantur alibi speluncarum recessus, & multa introrsum nocte nigrabant. Alibi vernantis anni juventute ridebant grama; & assimilata belluæ pascentis ingluvies decrementa propemodum minabatur herbarum. Incurrit fortè in hoc pastoriæ manus opus tumultuarium Cimbres ille qui non è suis tantùm, sed ex Jotti etiam tabulis posterorum sibi memoriam peperit; quòd & insigniter ipse

ipse pinxit, & magna ex parte Pictorem Jottum, quantus est, fecit. Ut vidit, ut stupuit! operi namque non sua modò dignitas, sed vel ipsa Opificis ignobilitas immensum nescio quid nobilitatis asperserat. Quam ob rem qui Auctoris amavit industriam, indignatus fortunam est; nec passus, tantæ mentis acumen, vel magnis præiturum hominibus abire post pecudes, erutum è nemorum caveis adolescentem, tanquam thesaurum è latebris civitati ostendit, sua aluit impensa, suo magisterio perpolivit, ac brevi discipulus tam eximum habuit in arte progressum, ut quem anteiverat Præceptor alumnum, æmulari mox cœperit, se, qui subinde coactus sit. Atque si ex utriusque tabulis decernendum de utroque nunc foret, laboraret historiæ fides, ut alterum præceptorem, discipulum alterum crederemus.

At quamquam tam pervium, & primum omnibus est suum novisse genus, ut & ipse interdum genius incogitantibus nobis, ultrò profiteatur se, ac velut pro foribus exerat se ipse, atque ostentet totum: tamen qui ad rem litterariam genus attinet, non ita for-

tas.

tassis in promptu adest, non ita exporrectus, quando multimoda sapientiae facies obversatur nobis, nec uno calle in omnium penetralia disciplinarum admittimur. Quapropter ad maturè discussionis examen rem hanc peracutè animadvertisat quicumque doctrinarum curricula aut docturus, aut docendus ingreditur. Genium ex ipsius conformatione vitæ, corporisque temperatura, tanquam è bulbo flosculum, è palmite gemmam enasci nemo unus dubitavetit, vel negaverit. Diversa vitalis temperamenti compages affectiones plerumque diversas coquit; & fovet in populis multiplicium votorum dissidia, quæ una sanè discordia humanæ Societatis concordiam, pulchritudinem, utilitatemqne componit, & conservat. Apud se quisque intentus perpetet, quæ sit sui coagmentatio corporis, quæ constitutio vitæ, & habitudo qualis. Quidam aeris plurimum hausere: horum frons, oculi, vultus semper Jovis serenitatem præseferunt, lenes ipsi, mitesque, studio pacis amabiles, alienos facile sensus, moresque induunt, mox & eosdem exuunt quam facil-

facillimè. Non uni patienter negotio  
curam, operamque suam oppignerant,  
sed vivi instar argenti stare loco ne-  
scientes in plura, distantiaque evagan-  
tur. Si quid tentaverint perdifficile, in-  
certæque aleæ plenum, faustioris dul-  
cedine spei suum ipsi animum identi-  
dem lactant; idque in primis, atque in  
omnibus sanguine viperino cautius de-  
vitant, ne ullam unquam menti, fron-  
tique ipsorum ominosior Saturnus nu-  
beculam suam offundat. Hoc natura  
ad Rhetorum, & Poetarum viridaria,  
ad areolas, ad coronarios flores horta-  
tur: carmina enim proveniunt animo  
deducta sereno; nec politiores litteræ,  
mansuetiores Musæ quidpiam prius,  
aut antiquius habent, quam ipsam  
mentis juventutem, & hilaritatem.  
Quidam festinantis, ac sursum voli-  
tantis ignis nativo vigore sunt præditi;  
acres semper, & alacres, auræque ethere-  
riæ, atque animæ, atque flammæ sub-  
tilioris agitatione assilentes, & scintil-  
lantes. Cuspide argutantis ingenii res  
involutas evolvunt, latebrosas referant,  
dirimunt indiscretas, & tanquam di-  
rupto difficultatum cortice veritatis  
fru-

fructum enucleant. His illud auctor  
suerim, ut altiori Metaphysicæ, &  
Scholaſticæ Theologiæ, quæ in con-  
certatoriis paleſtris militiā quamdam,  
& factiones ingeniorum accedit; ſum  
& acumen, & ſtudium addicere totum  
ne dubitēt. Quibusdā rursus terreſtre e-  
lementum portionem ſuī non exiguā  
impreſſiſſe dignoſcitur. Hujusmodi ſūt,  
quos tu prima ſpecie ignavos, meticu-  
loſos, hæſitantes, ſemisomnos, ſemi-  
vivos ſuſpiceris: cæterūm conſideratē  
deliberant, maturatē definiunt, mo-  
deratēque аſſeverant; & extempora-  
lem conſilii ſub manu naſcentis celeri-  
tatem tempeſtiva gravioris judicii mo-  
ra coercent, atque librant. Descripta  
frons rugis, ſupercilium demiſſum no-  
biliſter, modica veſborum, nec ſolici-  
tè culta ſupelleх, capillus negligenter  
diſiectus, orisque, & corporis totius  
habitū incuriosus eos commoniſtant  
virili cùm dignitate ſubtriftes, ac non  
humilibus curiſ defixos. Multūm hi  
ſanē proficient, ſi ad juris prudentiam,  
quæ interpres iuſtitiaſ in civium cauſis  
excutiendis diuersatur; vel ad morum  
inſtitutricem, & christianiorum tempe-  
ra.

ratricem officiorum scientiam, totum  
ingeniorum suorum conjectum, stu-  
diorumque conatum attulerint. Qui-  
bus verò aqueus humor incubat, &  
exundat, nihil illiscum Pallade; inac-  
cessa illis est sapientiæ domus: etenim  
ab accessu tam laborioso, tamque glo-  
rioso pituitæ suæ turpedine prohiben-  
tur.

Isthæc ejectamenta naturæ, potius-  
que frigida, & sanguine cassa, & inter-  
mortua hominum simulacra, quām  
homines non hæc alit \* Urbs nobi-  
lissima, sapientum genitrix virorum,  
atque nutrix. Subsidet ea planè ad  
montium radices humilior, virtute ta-  
men præcellens novit & principi Mon-  
tium Vaticano suos Cives imponete,  
seque cum primis spectabilem præsta-  
re Christiano Orbi universo, cui \*  
Clementiam peperit regnatrixem.  
Quandoquidem igitur mihi cum inge-  
niosis res est, quibus expperrectum, &  
pernix ingenium benignitas cæli hujus  
felioris affudit, reputate vobiscum,  
(per vestram ego vos fidem etiam atque  
etiam

---

\* Dicta fuit hæc oratio in Urbe Pistoriensis:

\* Clem. IX. Pontif. Max. Pistoriens.

etiam oro, obtestorque(. Adolescentes  
studiosissimi) reputate ingenii, vel ge-  
nii quisque tenorem sui. Quid enim  
tot austera, tristiaque, tantamque de-  
fatigationem pati in stadio studiorum  
juvat, dum in cæteris alioquin appri-  
mè satagimus, nostram ut benè collo-  
cemus, imo & fæneremur sedulitatem;  
ne vanis laboribus atteramur, sed cum  
atritu minimo, fructuque maximo la-  
boremus. Durus est admodum, ac præ-  
durus studiorum labor, utpote qui par-  
tem sibi hominis præcipuam vendicat,  
præcipuosque spiritus, magisque defæ-  
catos exhaustit: at ubi studentis impru-  
dentia irritus ille fiat atque inanis; est  
omnino durissimus, nam ipsa impru-  
dentia, & studendi exauget laborem,  
quod miserum est; & sine fruge studen-  
tis exauget, quod est miserrimum. Si  
viator demens habetur, qui molliori  
relichto itinere iter invadit aliquantò as-  
perius, ut metam contingat: an non  
ille plusquam tribus antyciris dignus,  
qui saltuosum ingreditur calle, &  
affatim præruptum, & ad ipsam deni-  
que metam ineptum? Dum licet, at-  
que integrum nobis est, quid ni potius  
im.

imminquendus sit labor, ut prospicit, quām  
ne prospicit, augendus? Id equidem re-  
ipsa suadebam, dum suaderem, ut se  
quisque prænoscat ad studia Palladis  
accessurus. Comprimam in pauca quid-  
quid latius hucusque differui: è vestri  
notitia ad reliquarum notitiam rerum  
disponite perquām sagaciter gradum.  
Hęc methodus esto discere volentium,  
hic ordo: quicumque studet, ut sapiat;  
& in suis illum sapere studiis oportet:  
erit sapiens à studio, qui habita ante-  
quām studeat, & discat, sui, rerum-  
que discendarum ratione non temere,  
non insipienter studuerit: nam ad suam  
accommodeatē naturam faciens nec in-  
commode, nec inutiliter faciet. Sum-  
mam veri totius accipite: rei litterariæ  
profectui constitutum stat maximum  
in lectione momentum, at propè ma-  
jus in electione.

IN.

